

Reliquae eiusdem fere commatis et argumenti sunt. Effici hoc ex illis facile potest, foeminas, quae semel tantum nupserant, *uniuiuas* dictas fuisse. Hanc tamen vnicam huius vocis notionem fuisse, dubito. Factae sunt eiusmodi inscriptiones illis etiam vxoribus, quae ante maritos suos diem supremum obierant, et quarum matrimonium non admodum diuturnum fuerat. His sane, non plures habuisse maritos, non magis laudi duci potuit, quam homini, latrocinia non commisisse, quamdiu carceri inclusus, catenisque vincetus fuerit. Deinde etiamsi foemina vni tantum viro rite nupserit, si, praeter maritum, alii viro sui copiam fecerit, illicitosque cum eo habuerit congressus, num legitimum maritum *uniuiuae* honore eam in lapide sepulchrali ornaturum fuisse putas. E. gr. Messalina, Claudii Imp. vxor, Lycisca nomen mentita,

Intrauit calidum veteri centone lupanar,  
Et lassata viris, nondum satiata recessit;

nobilissimamque vnam ex prostitutis ancillam die et nocte quinto et vicesimo coitu superasse legitur. \* Num haec *uniuiua* audire poterat? Hinc inducor facile, vt credam, hac voce castitatis et pudicitiae rationem habitam fuisse. Quae vni tantum viro nupserat, *uniuiua* dicebatur, si nec adulterii, nec intemperantiae vel libidinis suspicionem in se concitauerat. Vt citatum antea WVNDERLICHIVM ipsum fateri hoc oportet; \*\* ita eiusdem, cuius ego, sententiae quondam fuit eruditissimus GVIL. FLEETWOOD, \*\*\* ad supra adductam inscriptionem, Reianiae positam, ita commentatus: "Sed quomodo in laudibus "esset Reianiae nostrae, quod *uniuiua* fuisset, cum ante maritum suum obiit, profecto non video. Si enim virgo illi nup-  
"ptum

\* IO. HENR. VRSINI *analecra sacr.* tom. I. p. 363.

\*\* L. c. §. 2. p. 159.

\*\*\* In *Sylloge inscript. antiqu.* p. 226.